



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Speculum Approbandorum Bipartitum

Unczovsky, Marianus

Coloniæ Agrippinæ, 1693

Quæstio XV. De Examine Conscientiæ prævio ad Sacramentalem
Confessionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37308

QUÆSTIO XV.

De examine conscientiaæ prævio ad Sacramentalem Confessionem.

Vicar. Quid exprimit Sac. Concil. Trid. Sess. 14. c. 5. & can. 7.?

Sac. Esse necessarium præviū examen conscientiaæ pro confessione Sacram: de quo alibi me interrogatum esse recordor.

U. Hæc materia quia fusiùs discutienda est, quæro: quo Jure sit necessarium hoc examen?

S. Jure Divino, cùm enim finis, nempe integra omnium peccatorum confessio, respiciat præceptum Divinum, sub eodem continebitur medium necessarium pro obtinēdo tali fine, nempe præviū examen, quo quis omnes conscientiaæ suæ angulos contempletur, & exploret.

U. Semperne hoc examen præmittendum est à Pœnitente?

S. Quandoquæq; adest tempus præmittendi: quare necessarium non est urgente mortis periculo, ut naufragij, aut tempestatis, aut belli tempore, vel si moritur⁹ ita morti esset propinquus, ut diutiùs differri nequeat absolutio Sacramentalis.

V. Quid ergo reportat Pœnitens, absq; prævio examine conscientia confessionem peccatorum faciens Confessario non scrutanti conscientiam illius, nec suppleti defectum examinis per interrogationes?

S. Onus gravius propter novum mortale accedens prioribus delictis, siquidem præsumsit accedere pro obtinenda absolute Sacramentali, sine medio necessario ad integram ac bene circumstantionatam confessionem.

V. Sed quid si omisso examine conscientia Pœnitens se remitteret ad interrogationes Confessarij, & committeret conscientiam diligentia ipsius, habens paratam voluntatem respondendi ad omnia?

S. (Te-

S. (Tenendo pro certo, quod is, qui ex se idoneus ad faciendam aliquam saltem diligentiam, seu discussionem conscientiae, eam nihilominus facere non vult, sed spernit, confidens in diligentia Confessarij peritè ac ordinatè interrogantis Pœnitentes, nullam omninò faciat confessionem, verùm tanquam contemnens medium necessarium pro integritate confessionis remitti debeat ad faciendum aliquale examen) dico: Pœnitentes quandoq; absq; prævio examine Confessarium accedentes, nec scientes se diligenter examinare, sed potiùs confidentes in peritia Confessarij, quemadmodum faciunt rudes & idiotæ, validè absolvi: id ipsum sentio de illo, qui in discutienda conscientia pateretur incommodum alicujus considerationis, si Confessarius in audienda confessione suppleret per interrogationes defectum examinis, tunc enim habere posset sufficientem notitiam conscientiae Pœnitentis.

nitentis: præterquam quòd confessio-
ni conjungeretur examen, quia Pœni-
tens audiendo interrogationes, & re-
spiciendo ad propriam conscientiam
illam actu examinaret, sicuti exami-
nat, dum recordatus propriarum ac-
tionum easdem percurrit, & conside-
rat an contineant aliquod peccatum.

V. Existimo ego tunc necessarium esse, ut Pœnitens manifestet Confessario, quòd non præmiserit examen, & quòd paratus sit respondere interrogationibus ipsius?

S. Id ipsum existimavi semper & ego, sicq; instruere volo Pœnitentes rudes ac simplices, quibus Sacram: Pœnit: ministrabo, inculcando tamen, ut modica saltèm & possibilis præmittatur diligentia in examinanda conscientia.

V. Sed si quispiam diceret Confessarium non esse obligatum examinare Pœnitentem, quid respondebis?

S. Respondebo ex *cap. omnis utriusq; sexus.* Confessarium debere diligenter in-

inquirere, & peccatoris, & peccati
circumstantias: & numquid Confes-
sarius in Sacramento Pœnit: exercet
officium Judicis juxta *Sac. Conc. Trid.*
Sess. 14. c. 2.? Judex autem tenetur in-
terrogare Reum, & rectè cognoscere
causam antequam de illa judicet, nisi
Reus ipse proferat ea, quæ necessaria
sunt pro debita cognitione. Quare hic
adverto, quòd si Pœnitens novit ipse
ordinatè sua peccata dicere, unde pos-
sit colligi ipsum perfectum fecisse exa-
men, non debeat Confessarius mole-
stas potiùs, quàm proficuas interroga-
tiones facere, secùs si cognoscat Pœni-
tentem non esse sufficienter prepara-
tum, vel per se inhabilem ad debitum
examen conscientiaè faciendum, tunc
enim juxta statum & conditionem di-
ligenter examinadæ sunt personæ pœ-
nitentes.

U. Diligenter examinandos dicis Pœ-
nitentes, igitur etiam necesse est Pœ-
nitentem magnam adhibere diligen-
tiam

tiam in faciēdo examine conscientia?

S. Sic est.

U. Sed quantam?

S. Placet doctrina Scoti, quam lego in
4. dist. 17. Q. 1. art. 2. ubi ait obliga-
tum esse Pœnitentem ad inquisitio-
nem diligentem secundum fragilitatis
humanae possibilitatem, qualem inquisi-
tionem homo faceret circa negoti-
um arduum, quod ipsi multum cordi
esset: & meritò, quia cum opus con-
fessionis censeatur magnum esse ne-
gotium, tantam diligentiam requirit,
quanta requiritur in negotio magni
momenti; hinc tamen adverto spectan-
das esse circūstantias personarum con-
fitecium, numerum & qualitatem pec-
catorum, nam minori examine indi-
gent, qui frequenter, quàm qui rarò
confitentur, item qui multis negotijs,
aut commercijs cum peccandi occa-
sione conjunctis impliciti sunt, quàm
ij, qui quietam vitam habent &c.

U. Videtur mihi in hoc negotio adhi-
ben-

bendam esse diligentiam admodum magnam, imò summam, ad quam inducit ipsa obligatio confitendi omnia peccata mortalia.

S. Utiq; tenetur Pœnitens confiteri omnia mortalia, sed non cum tam exquisita diligentia, satis erit tempore quo fieri debet confessio mediocrem diligentiam adhibere, quâ adhibitâ, si quispiam oblivisceretur alicujus delicti mortalis, teneat illud simul cum alijs per eandem absolutionem indirectè remissum. *Greg. de Valen. tom. 4. Disp. 7. Q. 11. punc. 1.*

U. Responsio tua non quietabit mentem devoti, & de salute animæ suæ solliciti Pœnitentis?

S. Certè quietabit mentem Pœnitentis devoti, sed fortè non scrupulosi: utinam huic doctrinæ scrupulosi firmam præstarent fidem, cessarentque à suis scrupulis, & à confessionibus iterandis, tantum enim, & non plus tenetur facere Pœnitens, quantum de-

debet pro rei qualitate, & conditione
Legis CHRISTI, cuius iugum suave est,
& onus leve, vid. Bonac. Disp. 5. Q. 5.
de Sacram. Pœnit. punc. 2. Villalob. tom. 1.
tract. 9. diff. 33. n. 3.

V. Ergo præmissâ juxta moralem pos-
sibilitatem diligentiam, si postea orire-
tur dubium de hoc vel illo peccato, an
in confessione peracta fuerit expres-
sum, habendum esset pro irrationabili?
S. Sic sentio: tale namq; dubium non
est rationale, sed potius Dæmonis
vexatio ad turbandam conscientiam,
& generandum tædium confessionis:
quare monerem Pœnitentes (*maximè
scrupulosos*) quòd, post sufficienter ad-
hibitam in discussione suæ consci-
entiæ perquisitionem in ordine ad con-
fessionem peccatorum faciendam, non
sint obligati ulterius de antea acta vita
cogitare, quod si postea occurrat im-
prudens cum anxietate dubium, an
hoc vel illud explicatum sit in Confes-
sione? poterunt sibi scrupulosi per-
sua-

suadere illud jam fuisse memoratum. Quòd si certò aut probabiliter judicaverint aliquod peccatum esse mortale, quod nunquam confessi sunt, eò quia progressu temporis, dum legunt, audiunt, vel discunt, doctiores effecti advertunt, ac vident multa mortalia esse, quæ priùs judicabant talia non esse, monebo ut hujusmodi peccata confiteantur.

V. Colligo ex tuis dictis Pœnitentes scrupulosos à te habituros consilium de non iterandis confessionibus, teq; vix admissurum illos ad faciendas confessiones generales.

S. Sanum judico fore tale consilium, neq; Pœnitentibus scrupulosis confessiones generales (*absq; evidenti necessitate*) sunt medicina, sed potiùs remedium efficacissimum ad scrupulos augendos, ut experientia docet: oportet itaq; illos acquiescere judicio prudentis Confessarij, nec expedit per frequentes eorùdem peccatorum confes-

fessiones vulnus suum renovare, aut
 quod bene sanatum est amplius attin-
 gere, neque exigua est imprudentia,
 dum volunt certò certitudine scienti-
 ficâ cognoscere se adeò sufficienter fu-
 isse confessos, ut gratia Sacramentalis
 sit eis exhibita, cum Sapiens dicas:
nescit homo an odio, vel amore dignus sit?
vid. Navar. in Mann, c. 21. n. 42. Sanch.
lib. 1. Mor. c. 10. n. 86. Bossium de consci-
entia scrupulosa part. 3. tit. 1. §. 55. n.
2101. & 2106. Francisc. de victoria Q.
130. S. Theres. in init. perfect. c. 40.
 U. Plura circa hoc in Quæstione de
 conscientia scrupulosa, modò, quia
 supra interposuisti *ly post sufficienter*
adhibitam in discussione sua conscientia
perquisitionem, peto ut assignes Pœni-
 tenti regulam ad cognoscendum, quâ-
 do examen fuerit sufficiens ad validi-
 tatem confessionis?

S. Si post confessionem plura peccata
 occurrerēt memoriæ, quàm fuerint in
 confessione explicata, certum est tunc
 non

non adhibuisse diligentiam sufficientem examinatore[m] consciētiae: quod si occurrant paucula solū, credendum est fuisse diligentiam sufficientem, quare in simili casu non erit Pœnitens obligatus ad iterandum confessionem, sed debet se accusare de illis peccatis non confessis. *Nugus tom. 2. in 3. p. Q. 9. n. 1.*

U. Quæro: an præmissis diligenti examine peccatorum, Pœnitens, qui memoriam habet lubricam, teneatur peccata sua scribere?

S. Suppositō tanquam certo non esse aliquem obligatum propter debilem memoriam, quam habet, ad scribendum peccata statim ac illa commisit, ut deinceps habitā occasione confitendi ipsa confiteatur, etiamsi timeret futurum, quod postea fortè eorundem non recordabitur, sicut non tenetur propter huiusmodi oblivionis periculum statim post peccatum commissum confiteri: dico non obligari ad scri-

scribendum; adverte tamen fore val-
dè utile, si Pœnitens ante confessio-
nem peccata sua scripserit, dummodo
id fieri possit absq; probabili periculo
perdendi scripturam: hæc enim dili-
gentia laudanda est, si non subintrent
scrupuli, & nimia anxietas, quâ ob-
servatâ sapienter Confessarij nonnul-
lis Pœnitentibus interdicut peccata
sua scribere: *vid. Bonaci. punc. ult. Sect.*
2. Q. 5. Disp. 5. de Pœnit. Sylv. V. Conf.
fessio. Q. 5. Filiuc. Tract. 7. c. 6. Q. 8.

U. Respondisti suprâ Pœnitentem ju-
dicantem aliquod peccatum non esse
mortale, quod tamen progressu tem-
poris legit, vel audit esse mortale, de-
bere tale delictum tanquam lethale
confiteri, occasione hujus respon-
pono casum: si aliquis homo longo tem-
pore mollitiem exercuisset, ratus id
nullum esse peccatum, cujus notitiam
in aliqua deinde concione acquisivit,
deliquissetné homo ille mortaliter ex-
ercendo turpitudinem illam?

S. Vi-

S. Videtur mihi quòd non : suppono namq; malitiam illius actûs nullo modo etiam sub dubio ab homine illo fuisse præcognitam, & consequenter nec directè, nec indirectè fuisse voluntariam, adeoq; nec peccaminosam.

V. Quid loqueris? quo pacto malitia hujus actûs potuit tam diu esse incognita, siquidem prohibetur ipso jure naturæ? & numquid homo ille potuit, & debuit notitiam hujus habere?

S. Fateri nos oportet, non omnia, quæ sunt Juris naturæ ex certis circumstantijs, ità lumini naturæ clara esse, ut toto etiam vitæ tempore ignorari nequeant, ut patet in præcepto unius uxoris, perpetuitate Matrimonij, & alijs. vid. Vasquez. 12. Disp. 122. s. 2. Asor. lib. 1. c. 16. Q. 5. Bonac. Disp. 2. de pec. Q. 8. punc. 3. n. 13. gratis autem adjicitur hominem illum potuisse ac debuisse scire, siquidem illi nec scrupulus neq; dubitatio, quæ est prima radix investigandæ, occurrit, & si tri-
tum

cum illud (potuit & debuit scire) vix
habere debet, non poterit statui, qui-
do inconsideratio à peccato excuset,
& quando non? sed relinquetur res
planè inexplicabilis, & mille obnoxia
scrupulis, ut bene advertit *Burgob.*
centur. 1. cas. conscient.

V. Quæ ergo doctrina statuenda est,
pro universali regula de advertentia ad
peccatum?

S. Placet illa, quam lego apud *Arriag.*
tom. 3. D. 17. Sect. 2. n. 6. ità scribentem:
si intellectus dum peccat, malitiam ac pro-
hibitionem rei nec cognoscit, nec de ea du-
bitat, nec reflexè advertit se teneri ad in-
quirendum aut dubitandum, num res illa
mala ac prohibita sit? non potest ullum
incurrere peccatum.

QUÆSTIO XVI.

Continuatur eadem materia.

Vicar. **D**ixerat item suprâ Pœniten-
tem se accusare debere de
peccatis non confessis, ex quo con-
clu-